

www.e-rara.ch

**Nepomucena confraternitas una cum pacto sub patrocinio S. Joannis
Nepomuceni, sigilli sacramentalis proto-martyris, & c. pro clericis, & laicis
utriusque sexus, quamplurimis indulentiis ac ...**

Dascheck, Ferdinand Caspar

Bringantii, [1758]

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG B 49

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-74857>

Ad pium lectorem.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



AD
PIUM LECTOREM.



Uamquam DEUS in omnibus Sanctis suis honoretur, debitum illis honorem à nobis exigens, peculiarem tamen erga Sanctum JOANNEM NEPOMUCENUM magnum illum orbis Catholico-Christiani Thaumaturgum devotionem præprimis gratam sibi acceptamque habet; nec desuper mirari licebit, si piâ mentis trutinâ seriò perpendatur, quantis illum miraculorum donis à tanto jam temporum intervallo decorarit, commune orbis assylum, Patronumque constituendo, & certe nullam hominum etiam coronatorum conditionem ivenire erit.

quæ præpotenti apud divinum Numen
tanti Sancti intercessione penitus freta,
eundem in specialem sibi Patronum læ-
ta non assumpserit.

Quod ipsum pariter Celsissimum ac
Reverendissimum Dominum, Dominum
JOANNEM ANTONIUM S. R. I.
Principem & Episcopum Curientem,
ac Reverendissimum Cathedrale Capi-
tulum, simile ut descendat ad proposi-
tum, non potuit non permovere.

Quem in finem Pastoralis Altesfati
Celsissimi sollicitudo ardentem devotio-
nem, fiduciamque hunc ad Thaumatur-
gum in conceditis sibi ovibus, ac
præsertim in R. R. Clero, non tam ut ex-
citet (cum prius in omnibus ardere du-
bium haud detur) quàm magis ac ma-
gis ut accendat, eadem Celsitudo à mo-
derno felicissimè regnante Pontifice BE-
NEDICTO XIV. præviis precibus in-
stituendæ Confraternitatis Bullam, plu-
rimis sanè indulgentiis abundantem, im-
petravit, eandemque corrente hoc An-
no 1758, mense Majo utpote die 21.

quæ

qua Dominica infra Octavam S. JO-
ANNIS Nepomuceni incidit, eâ, quâ
fieri poterit, solemnitate in hujate Ca-
thedrali Ecclesia erigere firmum esto.

Quænam in præfata hac Confrater-
nitate Indulgentiæ lucrandæ, quænam in-
super solemnitates determinandæ, Missa-
rumque Sacrificia, ac quàm plurimæ
Orationes in genere æque ac in specie
sint exprimendæ; cuicunque satis pateat,
dum illi sese insertum voluerit, præter-
quam quod ad DEI, ejusque servi S.
JOANNIS Nepomuceni, dein verò
non solum ad commune & particulare
emolumentum, sed & animarum pur-
gantium liberationem collimet.

Ad augendam autem DEI, ac S. JO-
ANNIS gloriam, eidem Confraternita-
ti particulare quoddam pactum adjun-
getur; legibus statutisque infra nomi-
nandis.

Omnes proin, cujuscunque status ac
conditionis fuerint, honoris DEI ac S.
JOANNIS, propriæ ac proximæ salu-
tis, nec non animarum in purgatorio

detentarum liberationis cupidi, ad hau-
riendos ex hac Confraternitate, & pa-
cto Indulgentiarum, meritorumque the-
sauros in Domino serio invitati sunt.

Statuta & Obligationes

*pro Fratribus & Sororibus hujus Con-
fraternitatis & Pacti.*

Scopum ac finem introducendæ Con-
fraternitatis, ac Pacti ante descriptum,
excipiunt Statuta & Obligationes pro
quolibet in particulari eorum uni, vel
utrique nomen dare cogitante, enim ve-
rò alia Statuta ac onera iis, qui solum-
modo Confraternitati quàm illis, qui
simul & Pacto adscribi intendunt, in-
junguntur.

Statuta & Obligationes

*pro iis, qui solam Confraternitatem
amplecti volunt.*

Quemadmodum S. JOANNES Ne-
pomu-

omnibus communis omnium Patro-
nus, sic communi pariter omnes in e-
undem ferri devotione oportet; ut adeo
ne quisquam, quicumque demum fue-
rit, ob inopiam, aliavè incommoda ex-
clusum sese sentiat, sequentia statuun-
tur.

I. Quilibet Frater, & Soror in so-
lam Confraternitatem suscipiendi, ipsa
susceptionis die acceptis S. Pœnitentiæ,
& Eucharistiæ Sacramentis, persolutis-
que consuetis, pro lucrandis Indulgentiis,
precibus unum Missæ Sacrificium per
se, vel pro renata per alium à se consti-
tuendum, Sacerdotem applicare tenea-
tur, ea intentione.

1) Pro impetranda vera, ac fructuo-
sa à Confoederatis tam administratione,
quàm susceptione Sacramenti Pœniten-
tiæ.

2) Pro tribunalium Ecclesiasticorum
ac Sæcularium æqua administratione.

3) Pro vero divinæ gloriæ, ac ani-
marum salutis promovendæ zelo, obti-
nendoque mundani honoris contemptu.

4) Pro Confœderatis famâ & fortunâ periclitantibus.

5) Denique pro gratia participationis Sacramentorum ante obitum, felicitique morte omnium Confœderatorum, ac optato defunctorum refrigerio.

Quodsi autem quosdam pauperie ita depressos esse contingeret, ut Missæ stipendium præstare non possent, illi hunc defectum ipsa susceptionis die duas saltem Missas (si possibile fuerit) ad præfatam intentionem devotè audiendo, aut alio quopiam bono opere suppleant.

II. Quamvis præplaceret, si Fratres & Sorores susceptionis die (quæ Dominica infra Octavam S. JOANNIS Nepomuceni, aut tertia Dominica Septembris, utpote Festo Principali & Titulari, opportunè fieri poterit) Curiam in persona accederent; nihilominus quilibet ob locorum distantiam, aut alia incommoda specialiter impeditus, suum nomen, cognomen, officium &c. expresso domicilii loco, scriptotenus huc dirigere valebit, quo posito, eidem
Con-

Confraternitatis schedula inserto nomine proprio remittetur. Et cum

III. Hæc ipsa Confraternitas multis officiis divinis, plurimisque Indulgentiis (prout infra patebit) condecorata sit, in hisce saltem confiniis commorantes, pro omni posse suo, in duobus Festis principalibus ad SS. Sacramenta suscipienda, ad divina officia præsentiam suâ solemnizanda, Curiam sese conferre studeant, absentes verò prædictis diebus SS. Sacramentis refectioni, piis exercitiis, ac operibus absentiam suam supplere satagant.

IV. Confoederatorum singuli hebdomadatim, & quidem Mercurii die (cui ob gloriosum nostri Tutelaris Martyrium specialis devotio dedicata esto) in D. N. J. C. sanctissimorum quinque vulnerum memoriam, stellarumque NEPOMUCENUM Caput post mortem prodigiosa irradiantium venerationem, quinque Pater & Ave recitent. Et licet

V. Aliquibus hujusmodi Confraternitatibus alicubi in more positum sit, S.

JOANNIS Nepomuceni effigie publicè indui, nostrorum tamen Confœderatorum nullus, ex causis animum moventibus, taliter obligatus sit, convenientiæ loci &c. pro suo libitu conformaturus. Id certe ardenter optatur, ut quilibet, suæ saltem domi, hujus Thaumaturgi effigiem veneretur, eò magis, ac tali modo ad exorandum pro se, aliisque præpotens illius apud Deum patrocinium, imitandaque ejusdem vestigia, felici stimulo animabitur.

VI. Cæterum cum haud modicas, tum pro Confraternitatis schedulis, libellisque typo dandis, tum annuis NEPOMUCENIS solemnitatibus fore necessarias expensas, nullum queat esse dubium, confœderandi omnes, pro quodam libero pecuniæ subsidio ipsa susceptionis die quatenus potuerint, persolvendo rogati sunt, deinceps ab omni simili onere penitus immunes futuri.

Statuta & Obligationes

*illorum, qui Confraternitatis simulque
Pacti membra esse cogitant.*

Ipsa Pacti, utpotè liberi, ac novi
vinculi solos Confoederatos distinguen-
tis, natura exigit, novis quoque & ar-
ctioribus vinculis obstringi, ut adeò plu-
res eisdem correspondere debeant obli-
gationes. Et quidem

I. Pactistæ ad omnia Confoederatis,
ut supra, communia similiter teneantur.

II. Ne NEPOMUCENUS ardor
sensim desinat, Pactistarum quilibet quot
annis per se, vel per alium, duo Sacri-
ficia Missæ, ac si fieri possit circa pri-
maria Confoederationis Festa, unum
quidem, ad obtinendos supra memora-
tos fructus, pro vivis Confratribus, al-
terum autem per modum suffragii, pro
defunctis ex fœdere applicari faciat. Et
hinc consequum est, in hac Confrater-
nitate nostra obligationem illam, quæ
(sicuti aliàs in ejusmodi pactis sancitum

cernimus) pro quolibet pactistarum vitâ functo, una Missa applicanda est, locum non habere, remanente nimirum sola præfatæ geminæ Missæ annuatim applicandæ obligatione.

III. Expensæ verò ad hoc fœdus necessariae, si considerentur, ob majus emolumentum inde hauriendum &c. Solò liberò subsidio Contæderatis, ut antea statutô, non contenti, à Pactistis subsidium aliquod exigere coacti sumus, nominatim à quolibet duos florenos valoris Curienfis, vel 1. fl. 33. kr. valoris Imperialis, ipsa susceptionis die ad Confraternitatis capsam deponendos, illum attamen postea ab omni obligatio liberum reddentes.

IV. Hujus Confraternitatis erectio ex jam memoratis, memorandis haud leves sibi petit expensas, ità, ne, quod pie ac laudabiliter à nobis in ædificationem, & universi populi salutem, exstructum est, temporum injuriâ, aut languentium animorum debilitate in oblivionem abeat, pro diuturna devotionis conserva-
tione,

tione, majorique incremento singulis annis Confœderatis formulam votivam cum adjunctis in typo nominibus tam eò annò defunctorum, quàm de novo susceptorum Fratrum & Sororum transmittemus, rogantes, ut singuli eandem formulam proprio nomine subscriptam denuò remittere velint, cui, si honorarium quodpiam subsidium addere libuerit, gratè suscipiemus animò, id taliter nos impensuros promittentes, ut majus inde emolumentum, ac solatium in vita, refrigeriumque post mortem per intercessionem NEPOMUCENAM. Imò si honoraria pinguiora forent, etiam plurium Suffragiorum applicationem meritò sperare valeant.

V. Ut autem similes oblationes, ac honoraria debitos convertantur in usus, ipsa Confraternitas indies majus, feliciusque habeat augmentum, ac perpetuò duret, Rmo. Cathedrali Capitulo Curiensi directionem desuper in se suscipere placuit, adeò quidem, ut Præfactus, Assistentes, ac Secretarius om-

nes hujus Confoederationis Casus, ac annua ratiocinia ad unum, vel duos ex ejusdem gremio constituendos delaturi, ac omne Consilium, auxiliumque sint expectaturi.

VI. De re'iquo hæc tam Confraternitatis quam Fœderis statuta nullius conscientiam, ne quidem subveniali noxa, onerare valeant, quo non obstante quivis persuasum sibi facile habebit, se quò ferventiozem illis observandis se reddiderit, eò majori fruiturum esse NEPO-MUCENO Patrociniô.

*Fructus ac Emolumenta
pro Fratribus & Sororibus hujus Confraternitatis ac Fœderis.*

Nihil magis æquitati consentaneum est, quam ut singula onera, ac obligationes sua quoque percipiant emolumenta, & fructus, ut adeo, quarum devotiones, officia divina, & solemnitates ab hac Confoederatione, in hujate Cathedrali Curienti Ecclesia Instituentur,

daë, ac in futurum persolvendaë sint, subnectere benè judicârimus.

I. Festum S. JOANNIS NEPO-
MUCENI cum Novenna 16. Maij
quot annis celebrabitur, cui initium da-
bimus in profesta Ejusdem die, & præ-
ter jam solita Missarum solemnias, ac di-
vina Officia cum expositione Sanctissi-
mi in Marmorea ad NEPOMUCE-
NUM honorem antea erecto Altari sum-
ptuosas inter illuminationes, recitatô Ss.
Rosariô, decantatisque Lytaniis NEPO-
MUCENIS pro omnibus vivis ac de-
functis Fratribus, & Sororibus hujus
Confraternitatis, & Fœderis preces fun-
demus.

II. Dominica autem infrâ prædictam
Novennam Indulgentiâ plenariâ pro Fra-
tribus ac Sororibus tam Confraternita-
tis, quam Fœderis à Moderno summo
Pontifice BENEDICTO XIV. de-
corata, Missâ atque solemni Officio,
nec non Panegyri de eodem Sancto ce-
lebrabitur. Et quoniam

III. Pro Majori Sanctorum Gloria,

&

& Honore cuicunque Confraternitati Festum Titulare annecti solet, illud ipsum, ad majus Honoris NEPOMUCENI incrementum, in Dominicam Tertiam Mensis Septembris fixum statuimus cum jam dictis solemnitatibus, quibus adhuc additum esto, quod Vesperas solemnissimas exceptura sit sollemnis Processio, qua durante decantandas inter Lytanas NEPOMUCENAS, in argenteo, ac deaurato Ostensorio Particula S. JOANNIS NEPOMUCENI circumferetur, & sub finem prævia universalis ac elata voce formulæ votivæ renovatione, BENEDICTIO cum eadem Reliquia dabitur.

IV. Singulis diebus Mercurii, utpote ob Gloriosum Nostri Thaumaturgi Martyrium, ex supra allegatis specialiter sacris in Cathedrali Ecclesia Rosarium Vespertinum, unacum Lytaniis NEPOMUCENIS in ejusdem Sancti Altari recitabitur danda in fine cum præfata Sacra Particula benedictione.

V. Accessuris autem (prouti confidimus)

dimus) uberioribûs antea memoratis
subsidiis curabimus , ut eisdem diebus
Mercurii unum, aut duo Sacrificia in
dicto, & in perpetuum Privilegiato Al-
tari NEPOMUCENO pro vivis, &
defunctis Fratribus hujus Confœdera-
tionis applicentur.

VI. Sed ne in Particulari defuncta-
rum animarum immemores simus, sin-
gulis annis anniversarium universale pro
omnibus defunctis Fratribus, & Soro-
ribus instituetur, majori aut minori cum
solemnitate, Missarum applicatione, prout
nempè prævix oblationes majores, vel
minores fuerint.

Indulgentiæ

à Sanctissimô Domino Nostro BENE-
DICTO XIV. huic Confrater-
nitati Concessæ.

Indulgentias Plenarias

I. Lucrabuntur omnes post peractam
Sacram exhomologesin, lumptum Ss.
Eucha-

Eucharistiæ Epulum, solitæque preces
in ingressu Confraternitatis.

II. Omnes pariter in articulo mor-
tis, si verè quoque pœnitentes & Con-
fessi, ac Sacra Communione refeſti, vel
quatenus id facere nequiverint, saltem
contriti Nomen JESU ore, si potue-
rint, sin minus, corde devotè invoca-
verint.

III. Nec non iidem nunc, & pro tem-
pore existentes prænominatæ Confra-
ternitatis Fratres, & Sorores etiam verè
pœnitentes, & confessi, ac Sacra Com-
munione refeſti, qui illius Confraterni-
tatis Ecclesiam Dominicâ intra Noven-
nam S. JOANNIS, & Dominicâ tertiâ
Septembris, utpotè in Titulari Festo Con-
fœderationis hujus, à primis Vesperis us-
que ad occasum solis geminæ hujus diei
festæ singulis annis devotè visitaverint,
ibidemque pro Christianorum Principum
Concordia, hæresum Extirpatione,
ac Sanctæ Matris Ecclesiæ Exaltatione
pias ad Deum effuderint preces.

Indul.

Indulgentia septem Annorum.

Ac totidem Quadragenarum.

Præterea dictis Confratribus & Con-
sororibus similiter verè pœnitentibus &
confessis, ac Sacra Communione re-
fectis, huiatémque Ecclesiam Curientem
Cathedralem, ut suprà, visitantibus, nec
non ibi quatuor per annum vicibus no-
minatim in Solemnitatibus Paschatis &
Pentecostes, in Festo omnium Sancto-
rum, ac Feriis Natalitiis D. N. J. C. (in
ipso quidem Festo, aut diebus proxi-
mè sequentibus) orantibus, qua die id
peregerint, septem anni, & totidem
Quadragenæ conceduntur.

Indulgentia Sexaginta dierum.

Quoties verò missis, aliisque divinis
officiis in sæpius nominata Ecclesia Ca-
thedræ celebrandis, & recitandis, seu
Congregationibus publicis, vel privatis
eiusdem Confraternitatis ubivis faciendis
interfuerint, pauperes hospitio recepe-
rint, pacem inter inimicos composue-
rint,

rint, seu componi fecerint, aut procuraverint, corpora defunctorum tam Confratrum, & Confororum ejusmodi, quàm aliorum ad sepulchrum secuti, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tam in processionibus, quàm cum ad infirmos, aut aliàs ubicunque, & quomodocunque pro tempore defertur, commitati fuerint, vel si impediti, datò ad id campanæ signo, semel orationem, & salutationem pro defunctorum Confratrum, Confororumque animabus recitaverint, devium quemdam ad viam salutis reduxerint, ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt necessaria, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, aut charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet talium operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in Forma Ecclesiæ consueta relaxantur.

Præter memoratas Indulgentias Sanctissimus Dominus Noster huic Confraternitati indulgit etiam Altare singulis
per

per totum annum Mercurii diebus, & in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, nec non omnibus infra eandem Octavam diebus Privilegiatum, pro hocque assumptum est Altare **S. JOANNIS NEPOMUCENI** in hujate Cathedrali Ecclesia jam aliàs perpetuò Privilegiatum existens.

*Notanda pro susceptis in sola
Confraternitate.*

Adscriptos in solam Confraternitatem participes volumus omnium Orationum, Sacrificiorum, ac Divinorum suprà memoratorum, dummodò allegatæ obligationes ab ipsis debito fervore, & pietate persolvantur. Quòd si verò

Ejusdem Fratres, & Sorores ex hac vita decedere contingat, ipsorum propinqui extraditam illis Confraternitatis Schedulam Curiam remittere velint, & tunc non solum defunctos de Cathedra promulgare, verum etiam ad communia Confratrum, & Confororum suffragia enixè commendare parati sumus,

Notan-

*Notanda pro Confraternitati,
simulque Fœderi insertis.*

His nimirum, præterquam quòd omnium supradictorum participes sint, in ipsa susceptionis die Confraternitatis liber R. R. Clero in Latina, Laicis verò in Germanica lingua, absque ulterioribus expensis consignabitur, insuperque quot annis Catalogus tam defunctorum, quàm de novo in fœdus susceptorum Confratrum, & Confororum unacum Formula votiva transmittetur.

Quamprimum autem ex hac ad æternam vitam migraverint, mortisque nuntium propinquorum operâ Curiam perverit, eos parî modò de Cathedra promulgari, communibusque Confratrum, & Confororum Suffragiis commendari, nec non unum Missæ Sacrificium in Privilegiato Confraternitatis Altari pro ipsis applicari subitò curabimus.

Ita volumus optamus Curia 17. Febr.

1758.

In Christo Servi Præfectus Assistentes & Secretar. Confrat,